

EXERCITATIO XXXIV. 237  
rum extrema duo non attribuit aeo, sed ipsum  
esse tantum.

5. Similis est ratio, cur in Deo nulli pos-  
sit intelligi *mutatio*, quia in omni mutatione  
ordo concipitur inter esse & non-esse, si non  
omne, saltem aliquod, nempe tale esse &  
tale non-esse. Atqui in eo quod simpliciter  
est nullum non-esse potest intelligi, sed me-  
rum esse.

EXERCITATIO XXXIV.

*De Veritate Dei.*

1. **Q**uotplex est tractatio de Deo?  
Resp. Duplex, una *absoluta*, sic in  
Locis communibus Theologicis agitur de  
Deo, sic in Metaphysica Suarezii aliorum-  
que Scholasticorum; altera *respectiva*, sic in  
Physica generali tractari solet de Deo, ut  
causa efficiente universali & ultimo rerum  
fine, sic in Politica Deus consideratur uti  
causa Majestatis primaria ejusque provi-  
dentia, ut causa mutationum remota & ge-  
neralis.

2. Utra consideratio est prior? Resp.  
Quamvis absolutum suâ naturâ prius sit re-  
specti-